

catum oppositum speciali actui illius, qui est correctio fraterna, cui opponitur scandalum: sicut enim per correctionem fraternam intenditur ædificatio proximi, et ejus emendatio, sic per scandalum intenditur ruina, et destruitur opus correctionis fraternæ. Unde ex hoc judicandum est quando scandalum est speciale peccatum, scilicet quando opponitur speciali virtuti correctionis fraternæ. Tunc autem illi opponitur quando fit aliquid ex intentione ad ruinam proximi; sic enim est scandalum activum perfecte, id est, non solum efficienter ex parte actionis scandalizantis, sed etiam ex fine, quia ejus ruina intenditur. Si vero non intendatur talis ruina, sed solum satisfacere propriæ voluntati, licet de facto ruina sequatur, adhuc non erit speciale peccatum scandali, licet sit scandalum activum, quasi efficienter, sed habebit scandalum pro circumstantia: sicut etiam scandalum activum, quasi efficienter, sed habebit scandalum pro circumstantia: sicut etiam scandalum passivum, quod effectus ruinæ subsecutus non ex vi actionis scandalizantis, sed ex apprehensione videntis actionem, non est speciale peccatum. Et sic agit de scandalo quæstione XLIII.

De præceptis autem charitatis circa dilectionem Dei, et proximi, et circa ordinem charitatis agit quæstione XLIV.

Denique de dono sapientiæ correspondente charitati, agit duabus ultimis quæstionibus, scilicet de ipso dono quæstione XLV; de vitio autem illi opposito, quod est stultitia, agit quæstione XLVI. Dicitur autem sapientia donum, et non virtus theologica, licet versetur circa res divinas de quibus judicat, quia principia ex quibus judicat non sunt ipsæ res divinæ secundum se cognitæ, sed per quamdam connaturalitatem, seu experientiam rerum divinarum, quæ fit per amorem, quo ipsi Deo unimur. Sicut qui habet castitatem, et amat illam judicat de hac virtute non ex vi speculationis, et discursus, sicut philosophi, sed ex dispositione, et connaturalitate, quam habet erga illam virtutem; unusquisque enim qualiter dispositus est, sic judicat de rebus. Et de hoc dono dicitur Apocalyp. II, quod: *Nemo scit, nisi qui accipit*. Opposito modo procedit sapientia acquisita quæ est theologia, quæ ex principiis divinis secundum se cognitis, id est, per fidem discursu naturali elicit conclusiones, et ideo non est virtus theologica, quia non respicit Deum immediate secundum se, sed ut cognitum per discursum ex principiis immediate revelatis. Sapientia vero quæ est donum deficit a virtute theologica ex parte principiorum, quibus judicat, quia sunt aliquid creatum respiciens Deum scilicet unio, et experientia divinorum per amorem, et ideo dicitur correspondere charitati, quia habet principium judicandi in ipsa dispositione amoris charitatis.

Hac igitur connexion totius materiæ explicata, ea solum pro præsentia se offerunt disputanda, quæ pertinent præcise ad ipsam charitatem excludendo ejus effectus extrinsecos, qui quasi ad aliam materiam pertinent. Circa charitatem ergo tres disputationes instituimus. Prima, de natura, et productione illius: secunda, de augmento: tertia, de amissione.

## DISPUTATIO VIII.

DE NATURA, ET PRODUCTIONE VIRTUTIS  
CHARITATIS.

## ARTICULUS I.

*Utrum charitas sit vera, et propria  
amicitia erga Deum, ubi agitur de  
objecto ejus formali?*

I. Ut explicemus rationem amicitiae, quæ invenitur in charitate, unde pendet ratio formalis, qua attingit Deum notanda sunt duo. Primum est, amorem amicitiae, id est, qui fundat relationem amicitiae (sumitur enim amicitia, et relative pro respectu, et fundamentaliter pro actu exercente conditiones amicitiae) requirere tres præcipuas conditiones quas numerat D. Thomas quæst. XXIII, art. I, licet alii octo conditiones ex Aristotele numerent, sed ad istas omnes illæ reducuntur. Prima est, ut amor amicitiae habeat rationem benevolentiae, quia debet esse amor erga aliquam personam, solum enim personis volumus bonum quod est benevolentia: secunda, ut amor iste sit mutuus, non enim sufficit ad hoc ut aliquis sit amicus alterius, quod sit præcise amans illum, sed etiam amatus, seu amicus, ita ut talis amor sit quasi nexus inter duos, qua ratione charitas vocatur ab Apostolo vinculum perfectionis, Spiritus sanctus dicitur procedere a Patre, et Filio, ut nexus utriusque, quia procedit ex mutuo amore.

II. Tertia conditio est, ut iste mutuus amor fundetur in aliqua communicatione, qui enim in nullo communicant nullam inter se habent

conjunctionem, et nexum, omnis conjunctio communicatione aliqua fit: imo ratione diversæ communicationis diversæ sunt amicitiae, sicut in communicatione sanguinis fundatur amicitia consanguinitatis; in communicatione superioris cum inferiori amicitia excellentiæ; in communicatione sociorum amicitia æqualitatis. Homines autem erga Deum constans est, quod non possunt habere nisi amicitiam excellentiæ, qualis est inferioris ad superiorem; sed in hac amicitia possunt habere duplicem conjunctionem, seu communicationem; unam, ut homines, seu creature rationales præcise; aliam ut filii qui junguntur Deo non consanguinitate, sed Spiritu, quo regenerati sunt; et in utraque communicatione explicandum est quomodo fundetur amicitia.

III. Secundo advertendum est, ex parte ipsius objecti charitatis, quod est bonum divinum, quod potest considerari dupliciter. Uno modo secundum quod in se est absolute; alio modo secundum quod constituitur in ratione objecti amicabilis: ratio autem amicabilis addit supra bonum absolute rationem communicativi, alioquin si non esset communicativum, non redamaret nos, et consequenter neque nobis conjungeretur ut amicus. Et ex parte induit Deus duplicem illam rationem auctoris supernaturalis et naturalis, nam in se ipso entitative Deus ens supernaturale est, et excedens totam naturam, non autem aliquid habet de naturalitate entis creati. Cæterum prout consideratur ut connexus nobiscum, et communicans nobis induit rationem auctoris supernaturalis, quatenus communicat effectus supernaturales, et finis naturalis, quatenus effectus naturales præbet. Quæ distinctio licet ex parte Dei non importet nisi diversitatem rationis, sufficit tamen

ad distinguendos amores, quia sufficit ad distinguendas communicationes, et consequenter ipsam bonitatem, ut diversimode communicativam, cum tamen aliæ distinctiones rationis inter attributa divina non sufficiant ad distinguendos actus voluntatis, quia non sunt distinctiones in ratione boni moventis voluntatem, sed in ratione veri, quod propter infinitam suam eminentiam non potest unico conceptu a nobis attingi. Distinctio vero inter Deum communicantem effectus naturales, vel supernaturales, est distinctio bonitatis Deum in movendo, quia sic movet ad diversam amicitiam fundandam ubi est diversus modus communicandi.

IV. Dico ergo primo: Charitas supernaturalis est vera, et propria amicitia inter Deum et homines, fundata in communicatione, qua homines, sed qua filii habentes eundem spiritum cum Deo. De conclusione ipsa dubitari non potest, cum sit expressa in sacris litteris, ad quam sufficit ponderare textum ipsum Joannis. xv, ubi per omnes fere conditiones ad veram amicitiam requisitas, Christus Dominus discurrit dicens: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, ubi explicatur prima conditio amoris amicitiae, quæ est benevolentia qua Deus voluit nobis tantum hoc bonum, ut vitam suam pro nobis daret, et ut optime dixit S. Cyprianus: « Nihil præponere debemus Christo, quia Christus nihil præposuit nobis: » et subditur in textu: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis*, ubi explicatur secunda conditio mutui amoris, ut quia ipse animam suam dedit pro amicis nos simul amici ejus mandata illius servando, in hoc enim debemus redamare Deum tamquam finem, subjiciendo nos illi in omnibus præceptis.

V. Denique tertiam conditionem explicat sequentibus verbis: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis*, hæc enim fuit communicatio supernaturalis revelando nobis mysteria, quæ ad fidem, et salutem nostram pertinent. Quare cum ratione charitatis diligamus Deum omnia mandata servando, si quidem plenitudo legis est dilectio, Roman. xiii, ratione etiam charitatis Deus habitet, et maneat nobiscum, juxta illud Joannis xv: *Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*: et i Joan. iv: *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo*, manifestum est per charitatem haberi amicitiam, et familiaritatem erga Deum. Et fundatur hæc amicitia in communicatione divina ad homines, quatenus filii ejus sunt, juxta illud i Joannis iv: *Omnis qui diligit ex Deo natus est, et cognoscit Deum*: et infra: *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis*. Igitur communicatio hujus amicitiae est communicatio filialis, sicut inter parentes, et filios, aut consanguineos, non tamen conjunctione sanguinis, sed Spiritus, quia: *Non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*.

VI. Dico secundo: Formalis ratio charitatis supernaturalis est bonitas divina amanda propter seipsam ut finem fundantem communicationem sui immediatam, Deus vero amat nos amore amicitiae volens bonum nobis, ut subjecto non ut fini. Recondenda est hoc loco doctrina, quam tradidimus in materia de spe, disputatione prima ex domino Cajetano 2-2, quæst. xvii, art. v, et 1-2, quæst. xxvi, art. iv, quod amor

amicitiæ dicitur quando volumus bonum amico propter ipsum, non tamen oportet, quod ipse propter ipsum dicat semper rationem finis cujus gratia, sed sufficit, quod dicat rationem finis cui, id est, subjecti cui volumus bonum ex complacentia ad ipsum. Sicut etiam in amore concupiscentiæ volumus bonum nobis, non tamen nobis, ut fini cujus gratia, sed ut subjecto cui volumus bonum. Igitur in amicitia ad Deum, quia est amicitia excellentiæ, id est, inter inferiorem, et superiorem, imo respectu supremi entis, oportet quod non solum velimus bonum Deo, ut subjecto, et fini cui, per quod distinguitur ab amore concupiscentiæ quo bonum divinum est volitum ipsi amanti, non ipsi amato, sed etiam velimus bonum ipsi ut fini cujus gratia, id est, tamquam supremo Domino; sic enim consurgit amicitia excellentiæ, qua volumus Deo ex parte sui suprema bona, quæ sunt ipsa divina attributa, et ex parte nostri summam subjectionem. Quare ex eo quod charitas est amor amicitiae respicit bonitatem divinam ex complacentia sui, et quia est amicitia excellentiæ respicit illum non solum ut finem cui, sed etiam ut finem cujus gratia vult omnia bona.

VII. Addimus autem quod sit finis ut communicativi sui, quia licet ad simplicem benevolentiam, qua volumus bonum alicui ex simplici complacentia illius, sufficiat bonitas personæ, quæ nobis complacet propter se, ipsum tamen ad amicitiam, quæ est benevolentia mutua, et non simplex requiritur quod respiciatur persona, non præcise, ut bona in se ipsa, et complacens, sed etiam ut bona, et complacens in communicando. Deus ergo consideratus ut amandus propter seipsam præcise nondum intelligitur ut objectum formale perfectæ amicitiae, sed so-

lus benevolentiae, quæ est incohata amicitia. Sed ut respicimus Deum ut mutuo se communicantem sit complete, et formaliter habet rationem objecti amicabilis.

VIII. Sed adhuc totum hoc non explicat rationem charitatis ultimate in quantum supernaturalis est, nisi addamus quod amatur Deus, ut communicativus sui simpliciter, id est, perse ipsum, et non solum mediantibus effectibus suis. Deus autem seipsum immediate communicans est amicus supernaturalis, quia illa familiaritatis, et convictus Dei cum creaturis inhabitando in ipsis, et ad sui immediatam visionem ordinando, et disponendo, excedit omnem limitem, et debitum intellectus creati, et ideo D. Thomas hic quæst. xxiii, art. iv, ex hoc probavit, quod charitas est specialis virtus, quia bonum divinum in quantum est beatitudinis objectum, habet specialem rationem boni, et ideo amor charitatis, qui est amor hujus boni, et specialis amor. Ubi clare constat, quod ultimam rationem specificativam charitatis posuit D. Thomas in ipsa divina bonitate, ut est beatitudinis objectum, non quatenus illam beatitudinem appetimus nobis (sic enim pertinet ad concupiscentiam) nec quatenus beatitudinem volumus Deo præcise (sic enim salvatur in simplici benevolentia) sed quatenus volumus ipsi bonum, ut amico conviventi, et communicanti se nobis per beatitudinem: sic enim amatur non simplici benevolentia, sed benevolentia amicabili, et mutua in genere supernaturali.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

IX. Ex dictis solvuntur aliqua minutiora argumenta, quæ contra nostram resolutionem fieri possunt.